



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt V. Non solūm prouidentiæ, sed etiam bonitatis & justitiæ diuinæ
judicia æquißima in fame contineri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

placuitq; omnibus cum suo rege Vortigerio, ut Saxonum gentem de transmarinis partibus in auxilium vocarent. Quod Domini nutus dispositum esse constat, ut veniret contra improbos malum, sicut endeuinus rerum exitus probauit. Nam gens ad auxilium vocata Britones expugnauit, quos propugnatura sperabatur. Huc abundantia & saturitas, per scelera, populum duxit. Hæc altissima sunt diuinæ prouidentiæ consilia, ut inde utilitas veniat, quod tamquam malum timetur; & inde exitum, quod velut inter optimæ solet bona numerari.

C A P V T V.

Non solum Prudentiæ, sed etiam bonitatis & justitiae diuinæ iudicia aquissima in fame contineri.

I.
Odys. μ.

Plato lib. 3;
de repub.

AEGid. Cor-
rozetus de
dictis & factis
mem.

Matth. 4.2.

HX Homericæ Odysseæ fabulis, sententia olim cantionibus, apud veteres, celebrata est ista:

*Dura quidem miseris mors est mortalibus omnis,
At perisse fame, rei una miserrima longè est.*
Plato refert, hoc carmen veluti pestilens moribus adolescentum, quibus utique, belli tempore, aut alterius honesti gratia, nulla mors sit misera, quæ oppetitur. Quin alios si audiamus:

Fames magistra est artium complurium.
Hæc artem jaculandi docet eos, quibus panis non datur, nisi sagitta dejectus. Hæc lepido inuento escam sportulamque impetravit. Plebeius quidam Alphonsum Aragonum regem suppplex accedens, ære alieno, ô rex, inquit, opprimor, iam inde à parentibus in me deriuato. Creditoris rapacissimi & injustissimi exactionibus quotidianis atteror. Detestante id factum regem: *Venter hic mous est,* respondit. Rex ingenio hominis delectatus, non indonatum dimisit. Nimirum *Ingenium mala sepè mouent.* Eadem etiam fames, affuetudine longa, homines abstinentiæ facit tolerantes: tum quia etiam, ut ostendimus, ex virtute atque jejunio sponte suscepto oritur. Quo pacto & Christus, *cum je-
junasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurit.* Adde, quod fame etiam extraordinaria trahat Deus homines ad fidem & agnitionem rerum diuinarum, ad preces, & rectam fiduciam.

fiduciam erga Patrem cælestem, ad pœnitentiam, vitæque malè actæ seriam emendationem; ad humanæ miseriæ notitiam, experientiamque; nec non ad opera misericordiæ & charitatis erga indigentes exercendæ. Denique ad calamitates in Inferno extituras impendio meditandas. Ita fames & cos est ingenij, & mater pariterque proles abstinentiæ; & pretium cibi; & sanitas membrorum; & virga summi Pastoris oves suas in viam reuocantis; etiam occasio fidei, fiduciæque & spei nostræ in Deum excitatio; & stimulus atque incitamentum charitatis; denique omnium virtutum vel occasio, vel magistra. Quæ paulò adhuc impensis commonstranda sunt; præsertim de fame, extra naturæ modum ordinemque, è vero morbo, aut per sterilitatem, hostemue inducta.

Quod si ergo interdum fames humanum genus durius infestat, non imitandi sunt illi, de quibus dicitur: *famem patientur.* Psal. 58. 7.
ut canes, & circuibunt ciuitatem, latrantes: nam ecce loquentur in ore suo, & gladius in labijs eorum: quo diuinæ prouidentiæ iugulum petentes, dicent: *quoniam, quis audierit, scilicet nos panem flagrantibus?* Et tu, Domine, deridebis eos, quia famem, non ut homines animo æquo, sed ut canes, sine ratione, patiuntur. Apud homines mente præditos, clarum est, famem, vel tamquam pœnâ, vel tamquam medicinâ à Deo immitti, qui facit, quod homines faciunt, equum effrænem, aut accipitrem, falconemque in aucupia domare cupientes. Qui enim refractarium sentit caballum, auenam illi subducit, cuius abundantia animaduertit, eum ferocire. Accipitrem etiam, qui volunt cicurare, captum insomnia inediaque fatigant; somni ademptio mitem reddit, priuatio cibi, appetentem atque ad manum aucupis escam ostentantis aduolantem. Cùm igitur sagina & saturitas panis etiam homines faciat insolentes, inediâ domandi sunt.

Fieri mortales intemperanter pastos, minùs ad Dei obse- III.
 quium idoneos, immò insolecere, & vitulari, ostendit Moyses, Exod. 32. 6.
 cùm scripsit: *sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt lu-*
dere; nempe quando circa vitulum saltitauit, more vitulorum,
 aliaque multa indigna fecit. Quid Sodomitis nefandius? Ecce Ezech 16. 49.
hac fuit iniquitas Sodome fororis tuae, superbia, saturitas panis & abun-
dantia

48 Cap. V. In ipsa etiam fame, divina iudicia esse.

Gen. 9. 21.

dantia, & otium ipsius, & filiarum eius: & manus egeno & pauperi non porrigebant. Noë bibens vinum inebriatus est, quid inde secundum est? & nudatus est in tabernaculo suo. O quanta in vino secreta reuelantur? quanta saepe in lucem prodit turpitudo! Filiae Lot ad incestum, qua via peruererunt? Audi consilium feminæ; & filiae de patre ad sororem loquentis: *Veni, inebriemus eum vino, dormiamus cum eo.* &c. Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa: & ingressa est maior, dormivitque cum patre: at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit. Altera quoque die dixit maior ad minorem: *Ecce dormiui heri cum patre meo, demus ei bibere vīnū etiam hac nocte & dormies cū eo &c.* Dederunt etiam & illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaque minor filia dormivit cum eo: & ne tunc quidem sensit, quando concubuerit, vel quando illa surrexerit. Ad eamdem impudicitia palastram, quo pacto se Mart

Judith 12. 20. ius ille Iudithæ procus armavit? Et jucundus factus est Holofernes ad eam, bibitque vinum multum nimis, quantum numquam biberat in vita sua. Nempe à Cerere & Baccho ad Venerem itur, quæ frigida es-

Ester 8. 10. set, nisi vino caleret. Reginam Vashti quando assuerus voluit oculis satraparum populorumque suorum prostituere? Die septimo, cùm rex esset hilarior, & post nimiam potionem incaluisset mero, pracepit Maumam, & Bazatha, & Harbona, & Bagatha, & Abgatha, & Zethar, & Charchas, septem Eunuchos, qui in conspectu eius ministrabant, ut introducerent reginam Vashti coram rege, posito super caput eius diademeate, ut ostenderet cunctis populis & principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde. Si sobrius fuisset, minus id fecisset. Cur enim fecit? vt de eius venustate superbiret, an vt alios quoque flamma Cupidinis incenderet? Sibi uxorem duxit, non vt produceret alijs meretricem.

IV.

Matth. 14. 8. Atque vt è nona legi exemplum recenseam, nonne Herodes inter epulandum à saltatrice captus, Ioanni Baptista viro innocentissimo maluit caput auferre; quam impurissimam incestuofissimamque matrem saltatricis costristare? Et Epulo ille ferculorum multitudine pñne obrutus, tantò minus succurrit fami alienæ, quanto ipse eam minus sensit. Itaque quod plus ei Deus dedit, eò minus ipse dedit alijs, etiam avarus, vt posset esse gulosus. Abundantia fecit immisericordem, quia crapula avaritiam auxit. Timuit

Lue. 16. 22.

muit etenim, ne sibi postea deesset, quod prius alteri largiretur. Innumeræ id genus historiae occurunt, quæ docent, homines saturitate fieri deteriores: sicut & viae, quas pluia reddit lutulentas, & paludes sordibus repletæ Mephitim exhalant fœdiorem. Omnia hominum peccata, rationis & mentis expertia, ait Isidorus Isidor. Pelus. Pelusiota, è vino tamquam è fonte scaturiunt. Quod autem facit ad Xenod. ebrietas, id facit & saturitas, utraque temperantia inimica; utraque amica vitijs mancipium suum perdituris.

Cum igitur Diuina bonitas hoc videat, an non rectè iudicat, panem subinde vel minuendum, vel subducendum hominibus, ut (more famelici accipitris, ad Domini sui manum & ostentatam meliorem escam reuolantis) vel inedia coacti resipiscant? & cum prodigo filio ad patrem suum reuerantur, dicentes: *Quanti mei ceneris in domo patris mei abundant panibus ego autem hic fame pereo.* Surgam, & ibo ad patrem meum. Cur ad Ioseph, quem ante occisum voluerunt, vel ignotum profecti sunt fratres eius in Aegyptum? Cur ipse senio gravatus Iacob, cum tota familia, ad illum descendit? *In uniuerso orbe fames praualuit, in cuncta autem terra* Gen. 41. 54. *Aegypti panis erat.* Omnesq; Provincie veniebant in Aegyptum, ut emerent escas, & malum inopia temperarent. Audiens autem Iacob, Gen. 42. 1. quod alimenta venderentur in Aegypto, dixit filii suis: *Quare negligitis? audiui, quod triticum venumdetur in Aegypto: descendite, & emite nobis necessaria, ut possumus vivere, & non consumamur inopia.* Sic vel insciij Iosephum adierunt fratres, ac postea ad eum agnatum, patrem quoque adduxerunt. Fames dux viæ fuit. Quemadmodum & illi, qui, in deserto, pasti à Christo, regem eum facere Ioan. 6. 15. cogitabant. Mirum est, tam multos esse, qui pane carent, & tamen ad Deum non veniant, immo, toto anno numquam orent, *Panem nostrum quotidianum da nobis.* Potius eunt ad quemcumque Matth. 6. 11. alium; potius ab hominibus quasi liberalioribus, mendicant; potius fraude escam colligunt; potius furantur; ut hinc egeni, in altera vita æternum miseri efficiantur & calamitosi. Tales, ut ad se alliciat Deus, sicut mater filium, fame castigat. Quæ castigatio non solum est justissima, verum etiam clementissima; nam à manu diuinæ prouidentiae proficiscitur, partim ad scelera punienda; partim ad scelerata pectora corrigenda. *Ego Dominus, & non est Isa. 45. 7.*

V.

G alios,

50 Cap. V. In ipsa etiam fame, diuina iudicia esse.

alius, ait, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum; hoc est, omnes calamitates, quæ secundum communem rerum cursum à diuina sapientia directum inferuntur, famem, pestem, bella, tempestates, procellas, naufragia, terramoto, ventorum vafanias, populationes agrorum, inundationes aquarum, incendia, siccitates. Denique si erit malum in cinitate, quod Dominus non fecerit? ait Amos.

VII.

Deut. 28, 20.

De fame hinc loquar, quā prævaricatoribus Scriptura minatur, dicens: *Mittet Dominus super te famem, & esuriem, & increpatiōnem in omnia opera tua, quæ tu facies: donec conterat te, & perdat velociter, propter adiumentiones tuas pessimas, in quib[us] reliquisti me. Adjungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris posſendam.* Quo loco omnis generis mala à Deo peccantibus immittenda enumerantur. Sed famem terris illatam, ob effusionem sanguinis innocentis, regum memorat̄ historia. *Facta est quoq[ue] famē in diebus David tribus annis jugiter: & consuluit David oraculum Domini. Dixitq[ue] Dominus: Propter Saul, & domum eius sanguinum, quia occidit Gabaonitas. Quamuis enim bono zelo, id factum, (siquidem voluit Saul percutere eos a zelo, quasi pro filiis Israël & Iuda) factum est tamen contra promissionem ac juramentum; & non tantum fame vniuersali, sed etiam vniuersali cæde extinctioneque stirpis Saul vindicatum.* Videant ergo vani illi promissores, & fœderum violatores, quām magnas inferant in Remp. calamitates, zelo non bono, oppressione subditorum, crudelitate; dum namque volunt, per fas & nefas, bonum publicum augere, euentunt; non promotores rerum publicarum, sed proditores, humanis inuentis, contra diuinam sapientiam potentiamque pugnantes.

VIII.

2. Reg 14, 13.

Sed & superbia fame punitur. Quare cūm David populum vniuersum, contra bona bonorumque consilia numerari jussisset, viresque suas voluisset ipse tumida mente admirari; postquam pœnitentiam agere cœpit, à Deo per Gad Prophetam, hunc nuntium accepit: *Aut septem annis veniet tibi famē, in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide quem respondeam ei, qui me misit, sermonem.* Tantum malum est,

est fames, tam atrox in ea supplicium, ut præ ea Dauid potius elegerit ipsam pestilentia grassationem. Ite, qui pecunias, qui amicos, qui fautores, qui potentias vestras numeratis & jactatis, vobisque ipsis de multitudine planditis: Fames vobis cristas admet, & veteres auias de pulmone reuellet. Inedia & vultum patiter, & fastum deuastabit. Nec mirum est, si multi, qui vocari volunt Patres conscripti, sunt simul etiam esuritionum patres.

Supersticio quoque, & idolorum dæmonum quæ cultus fame corrigitur. Sic quando, cælo clauso, pluua negata est agris, 3. Reg. 18. 16^o famesq; fuit vehemens in Samaria, impius quidem Achab Eliæ calumniam impegit, sed per jugulum suum reddituram. Venit Achab in occursum Eliæ. Et cum vidisset eum, ait: Tunc es ille, qui conturbas Israël? Et ille ait: Non ego turbavi Israël, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquisti mandata Domini, & fecisti eos Baalim. Inde sacrificijs, inter Eliam, & Prophetas Baal, certatum, Prophetæque Baal ad unum omnes interficti sunt. Reducto veri Dei cultu, etiam pluua reducta est, fertilitasque rediit agrorum. Quare, occisis sacrificulis, ait Elias ad Achab: ascende, comedere, & bibere: quia sonus multæ pluiae est. Cecidit ergo imber, & seges erecta panem peperit, famem pepulit. Videtis, unde petenda sint alimenta? de cælo: non ex orci furno. Quid ergo mirum est, sagas, & magas semper ferè pauperes & famelicas, neque in ipsis suis impijs mysterijs nuptijsque Tartareis, saturari, epulisque umbra-ticis toties aut nefandis deludi? Fame eas vexat, cruciatque Alastor, Deus autem fame ad se inuitat, sicut Filium prodigum fame à filiis porcorum, ad panem mercenariorum inuitauit. Ille enim est Paterfamilias & rex, qui quotidie clamat; prandium suum, coenamq; suam esse paratam, sed nimis multi se incipiunt excusare. Siliquis porcorum magis, quam cæli ambrosia, pater. Luc. 15. 17^o neque pane delectati.

VIII.

Matth. 12. 42

Mirissima res, fame aues cicurantur, domantur leones, ipsi dracones discunt humanitatem; & sunt homines, qui cum abundantia ciborum exorbitent, etiam ipsa penuria non sinant se erudiri? Enim uero licet plurimi adeò indurati sint, ut non sentiant, cum percutiuntur; sunt tamen haud pauci etiam, qui, post iustum, sapient, & per famem discant justitiam fitire & esurire:

IX.

neque

G 2

Psal. 77. 19.

neque iam ex illorum volunt numero esse, de quibus dicitur:
Et malè locuti sunt de Deo, & dixerunt: Numquid poterit Deus pa-
S. Bonavent. *rare mensam in deserto? Quæ diffidentia, teste Bonaventura, vel*
in Apolog. *ab infidelitate oritur, qualis est eorum, qui res humanas, vel sal-*
Pauperum, *tem suas, non credunt à Deo curari, vel nascitur à pusillanimi-*
tate, cui scribit, annexam esse remissionem amoris diuini, pro-
prijsque amoris intensionem. Proprius enim amor, quia cæcos
facit, non sinit eos videre diuinam prouidentiam. quare ipse sibi
solicitus, & quodammodo sibi quidam Deus esse vult. Amor au-
tem Dei, fudit Deo, quem amat. Ut enim diffidentia inter inimi-
cios, ita inter amicos fiducia locum obtinet. Amor non suspica-
tur: odia in tetricas ebulliunt cogitationes; ipsosque è dilec-
tione ortos affectus, insidias, aut vindictas amarissimas arbitran-
tur. Qui autem Dei amicus est, scit eum ex pumice aquam, è nu-
be panem posse elicere. Itaque, si in maxima necessitate homines
desint, sperat vel Angelos sibi adfuturos.

C A P V T V I.

Diuinae prouidentiae, circa corporalem escam, è SS. Eucha-
ristie institutione, & ipsius Famis fructibus
agnitio.

I.

Sapi. 16. 29.

GA T, inquieris, hodie talia miracula nulla fieri, neque enim
cadere panes de cælo, aut coturnices esurientibus in os
inuolare, aut Angelos passim se præbere conspiciendos,
qui nobis afferant è Paradiso alimenta; neque miracula tam ma-
gna quotidie fiunt. Immò longè fiunt maiorā. Nam in primis
miraculum miraculorum est in Eucharistia. In illa enim est panis
Angelorum, qui de cælo descendit, panis paratissimus, panis sine
labore præstitus, omne delectamentum habens, & saporis suau-
itatem; de quo verè dici potest: *Substantia tua, dulcedinem tuam,*
quam in filios habes, ostendebat: & deseruiens uniuscuiusque voluntati,
ad quod quisq; volebat, conuertebatur. Vult quis fidem exercere? ecce
Deum velatum, sub speciebus panis. Vult in spem assurgere? ecce
anchoram; ecce medicinam ærorum; ecce fortitudinem cibi;
Vult in charitatem efferuescere? ecce dilectum, præ amore, in
cor